

Benedictus Papa XII. Casimirum regem Polonia ob singulare studium et benevolentiam Ecclesie exhibitam his elogijs commendat.

Charissimo in Christo filio Casimiro regi Polonia illustri!

Cultamus in Domino admodum et letamur, quod sicut ^{gratulatione} fama divulgat celebris, et dilecti filij magistri Galchardi ^{Pont. litend.} de carceribus propositi ecclesie Silulensis, Colocensis diocesis, nostri et apostolica sedis in partibus regni tui nuntij grata nuper insinuatio patefecit, tu fili charissime Divinis proventus benedictionibus, et ab eo, a quo cuncta bona procedunt, sic virtutibus es dotatus, quod timorem et amorem habens ante oculos mentis tuae Divinum, pacem et justitiam colis et diligis, et ingentis devotionis affectu revereris tanquam filius benedictionis et gratiae Sanctam Romanam Ecclesiam matrem tuam ad ea, quae ipsius honoribus et beneplacitis congruunt, te promptis et devotis operibus impendendo, Super quibus utique Deo ac nobis et sedi apostolicae gratias non indigne plurimum, et acceptis ei, qui tibi rectum dedit spiritum, in laudis jubiliis, surgentes et serenitatem tuam regiam cum gratiarum actionibus multipliciter in Domino commendantes, exhortamur regalem magnificentiam attentius et rogamus quatenus in hujusmodi proposito tuo laudabili, per quod Deum tibi semper magis propitium constitues et uberius dote sedis vendicabis gratiam, constantem et stabiliter perseveres circa conservationem et tuitionem tuorum et regni tui, ac ecclesie memoratae honorum et jurium de Divina et sedi praedictae confusus gratia, viriliter nihilominus intendendo et

et assistendo sicut oportunitate et honestam extiterit in agen-
dis pro nostra et apostolicae sedis reverentia nuntio memo-
rato. Datt. Avin XVI. Kal. Septembris Anno Domini 1559.
Pontificatus nostri anno quinto.

Ludovicus Hunga-
rus delectus de
patri polon suc-
cessor.

Delegit hoc anno in solemnibus ordinum Poloniae conventibus
Casimirus, cum prole mascula careret, sceptri successorem Lu-
dovicum filium regis Hungariae, de quo haec Michovias. Anno
MCCCXXXIX. rex Casimirus factō generali conventu omnium
terrarum regni in Cracovia pro festo Sancti Stanislai im Majō,
eō quod filium successorem non haberet, Ludovicum Caroli re-
gis Hungariae filium et nepotem suum ex sorore germana
regnaturum post se nominavit. Cum enim militum auxilia
pro subsidio regni Poloniae à Carolo rege Hungariae rex Ca-
simirus postularet, interrogavit quid praemij pro talibus
beneficijs rex Carolus habiturus esset. Casimirus rex Polo-
niae Ludovicum filium ejus tanquam nepotem suum post se
regnaturum renuntiavit. Ob hoc Carolus rex Hungariae
filios suos Andream in Sicilia, Stephanum in Hungaria,
et Ludovicum in Polonia regnare in animo destinavit, quod
sic evenerat: sed alijs morte preoccupatis, Ludovicus in Hun-
garia et Polonia regnavit: Anna autem regina consorte
sua et filia Gedimini principis Lithvaniae ejusdem anni
decimā octavā mensis Junij in Castro Cracoviensi mortua
atque sepulta, et unicam filiam Elizabethae relinquente,
Casimirus rex cum certis episcopis et magnificis personaliter
septimā mensis Julij in Vissogrod, Hungariae perveniens, praefatum
Ludovicum regem Poloniae, se absumpto sub certis
federibus ac conditionibus successorum cretenus designavit,
et non duces Masovia nec Opolienses. His conventicula
refert Croneus, et Casimirum ipsi, qui Lemovitum aut Januf-

Hungarus tribus
filij tria regna
comparat.

aut Janusium duces Maroviorum, vel Vladislauum
 Opoliensem è vetusta regum Polonia prosapia ori-
 undos ad sceptri successione[m], vocabant adversatum
 in solemnibus regni conventibus, cum Silesij duces, ob
 secutas Bohemorum partes, eo honoris fastigio indi-
 gnos se reddidissent: ex Opoliensibus regni clientibus
 nihil dignitatis Polonia accederet; Caroli vero Hungari
 filios matre Polonâ ortos, regnum Polonia Hungari-
 cis viribus et opibus tutaturos amplificaturosque.
 Efferebat indies Divina providentia Carolum regem
 ad majorem amplitudinem, cum ille ab annis teneis,
 suas in Numine spes collocasset: cujus pietatis in De-
 um, cultusque in Beatam Virginem insigne monu-
 mentum producimus.

Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a historical document or manuscript.

7
Faint handwritten notes or marginalia on the left side of the page.

Faint handwritten text at the bottom of the page, possibly a signature or date.